

Genebrardus, & alii. Unum accipe Didymum relatum in Catena Græca Danielis Barbari. *Inimici Regis Christi sunt peccatores omnes: cum verò in corde eorum sagitte Christi infiguntur, ab inimicitia discedunt, & Regem adorant.* Ecce, qua ratione tota Dei virtus potentissima sit omnino necessaria, ut ei obdurata hominum corda subiciantur, non ferrea ac servili conditione, sed dulci, amica, & filiali; ut conigit in Paulo Actor. 9. 4. in Magdalena Luc. 7. 38. & aliis ad Christi pedes proidentibus.

1235 Sibi consonat alibi sæpe purpureus idem Pfalter; præferunt Psalm. 109. 1. *Dixit Dominus Domino meo: Sede a dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum.* In primis, quod det Christo dexteram suam Deus, fortasse est conferre illi non tantum supremum honorem, sed suæ omnipotentiae virtutem, quæ in litteris inspiratis solet dextera nomine appellari. Vel designat etiam evidentissimam divinæ virtutis ostensionem in Christo, & per Christum. Hæc porro necessaria est, ut hostes Christo quam infensissimi, reddantur ei subditi, atque illius pedibus subternantur, ut scabellum, quod ea propter sanctum dicitur Psalm. 98. vers. 5. Unde, ut argute observat noster Alcazar ad Psalm. 109. Christi inimicos parari ipsi scabellum pedum, est eos ad vitæ sanctæ rationem perducere. Quod spectasse Paulum ad Hebræ. 10. 12. arbitrat: *Unam pro peccatis offerens hostiam, in sempiternum sedet in dextera Dei, de cetero expectans donec ponantur inimici ejus scabellum pedum ejus.* Una enim oblatione consummavit in sempiternum sanctificatos. Propereâ igitur federe dicitur ad dexteram Dei, ut evidentissima divinæ virtutis ostensione utatur ad obdurata peccatorum corda convertenda, & sanctificanda. Atque hoc illud est, quod subrexitur: *Virgam virtutis tua emittet Dominus ex Sion: dominare in medio inimicorum tuorum.* Per virgam virtutis nonnulli intelligunt sceptrum potentia Christi, sive potentiam ejus Regiam, ut Genebrardus. Vel virga virtutis erit ipsamet Spiritus sancti virtus potentissima, & fortissima, qua induti Apostoli sunt ad obdurata Gentium corda conterenda Act. 1. 8. Erit itaque effectus hujus virgæ, *Dominare in medio inimicorum.*

Hebræ. 10. 32.

Vel obduratissima corda, ferrea, & adamantina expugnata, & Christi subiecta imperio.

Vel juxta Symmachi lectionem; *corripe intus inimicos.* Hebraicè pro in medio, est, in interiori, in cordibus; nempe vel obduratissima etiam corda ferrea, & adamantina obtinebis, tibi subicies, tuoque imperio. Quod est planè divinæ virtutis opus in eximium ejus cedens laudem.

1236 In faxeo duarum tabularum volumine divinam legem fuisse ipso Dei digito exaratum, testatur Moyses Exod. 31. 18. *Deditque Dominus Moysi in Monte Sinai duas tabulas testimonii lapideas scriptas digito Dei.* Certe, digito Dei scriptas nonnulli putant, id est; supernaturali Dei potentia, quæ digito Dei dicitur Exod. 8. 19. Hebræi enim brachio Dei, & digito, quæ actionis sunt instrumenta, potentiam divinam significant; & rō Dei significari ajunt ingentem potentiam, id est, omnipotentem virtutem. Cæterum occurrit digito ipsius Dei, ingenti nempe ipsius potentia divina inscribitur lex? Nōne ad id factis superque erat sola Moysis manus, aut Angelorum ministerium? Quorsum tota Dei potentia exeritur? Etenim dura, obdurataque hominum corda lapidibus illis designabantur: unde Paulus 2. Corint. 3. 3. *Epistola estis Christi scripta non in tabulis lapideis, sed in tabulis cordis carnalibus.* Et Zacha. 7. 12. *Posuit cor suum ut adamantem, ne audiret legem.* Chaldæus, *ne susciperet legem.* Ut verò faxea & adamantina peccatorum corda emoliantur, cædenti atque exaranti cedant, eternam figuram appretiam facillè recipiant, sacrosque characteres, & totam divinæ legis observantiam, non humana, non Angelica potentia sat est, sed necessaria prorsus ipsa Dei virtus potentissima. Ut enim divinum oraculum apud Ezech. 23. 19. *Auferam cor lapideum de carne eorum, & dabo eis cor carneum (id est, tenerum) ut in præceptis meis ambulent.* & apud Jeremiam 31. 33. *Dabo legem meam in visceribus eorum, & in corde eorum scribam eam.* Arduum hoc, & solius divinæ omnipotentiae opus. Opportunè ad rem Galfridus in Catena Tilmanni ad cap. 5. Lucæ: *Nolite obdurare corda vestra, charissimi: in lapideis tabulis solius Dei digitus scribit, qui potens est de lapidibus filios Abrahæ suscitare.* Preme illud, *solius Dei digitus scribit.*

Exod. 31. 18.

Solius Dei digitus in tabulis lapideis scribit, quia solus ipse corda emoluit, ut suam imprimas legem.

2. Cor. 3. 3.

Ezech. 23. 19.

Galfrid.



PARS CAPITIS TERTIA.

à versu 11. ad 23.

Quæ requiem, & hæreditatem à Christo, & Deipara quasitam, à Deo assignatam, ab illis possessam in Populo imprimis Israelitico; deinde, eo repudiato, in orthodoxa Ecclesia, Hispaniensi signatim, ac Religiosa præsertim: nec non Ecclesiæ Christianæ dilatationem venustissimè ostendit.

Vers. 11. *Et in his omnibus requiem quaesivi; & in hæreditate Domini morabor.*

Vers. 12. *Tunc præcepit, & dixit mihi Creator omnium, & qui creavit me, requievit in tabernaculo meo.*

Vers. 13. *Et dixit mihi: In Iacob inhabita, & in Israel hæreditare, & in electis meis mitte radices.*

ARGUMENTUM.

Requies & hæreditas quaesita & assignata.

1237



AMETSI, ex Versu præcedenti omnem populum, gentemque sub ditione contineant sua JESUS, & MARIA; amplissimumque eorum extet

Regnum, quod omnes Nationes complectatur; exquirunt in odò uterque solliciti novam gloriam, stabile nempe domicilium, diuturnam, pacatamque sedem, sive peculiarem populum cui sese maxime insinuent, quem in summis deliciis habeant, quem suscipiant tuendum; defendendumque. Populus hic Israelitica in primis Gens fuit, quæ hæreditatis nomine venit intelligenda, & quæ à Deo ipso assignatur & decernitur, præsignata interim Christiana Ecclesia, atque ex utroque populo Judaico, & Gentili electis ad gloriam.

in hæreditate Domini morabor, aposiopesis continet, quod minus exprimat quam sentiat. Unde ex Pauli de Palatio mente sensus erit: In omni populo, in quo requiescam, & in ejus hæreditate polliceor me moraturam. Paulò aliter Jansenius ibi, & Prado. Tom. 2. in Ezech. fol. 211. qui loco Domini Græcis esse observant τῶν, quod est alicujus, vel cujus. Unde est sensus: *Quaesivi in cujus hæreditate morarer; vel; ut in alicujus hæreditate morarer.* Nam particula est, est hic ut, ex usu sacrae scripturæ Genes. 20. 7. *Orabit pro te, & vives, id est, ut vivas.* Ad Hebræ. 12. 9. *obtemperavimus Patri spirituum, & vivemus, id est, ut vivamus.* Vide Salmeronem Prolego. 16. fol. 409.

At quænam illa requies quaesita? Utrique *Quænam hæc requies quaesita.* *populus, in quo requiesceret per dilectionem,* explicat noster Sa. Ubi verbum, *quaesivi,* præse fert sollicitam quamdam inquisitionem, & investigationem, emittentemque ad id animum. Ut enim S. Lauren. Justin. in Fasciculo amoris c. 6. *Inquieta res est amor, & propriis stimulis agitata.* Et ut agebat S. August. 1. 11. de Civ. Dei c. 28. *Amor meus pondus meum, illuc feror quocumque feror.* Et Pl. 54. 25. *Jacta super Dominum curam tuam.* Hebraicè, *onus, vel pondus tuum;* S. Hieron. in Psalterio; *charitatem tuam, dilectionem tuam.* Hæc onus, vel pondus appellatur, quod in rem amatam suo proptere pondere fertur amans. Ergo in omnibus requiem quaerit Dei Verbum, amoris stimulis, & pondere huc illucque agitatum: populum, in quo per amorem, amorisque documenta requiescat, inquit, & vestigat. *Quos enim amamus (ait S. Bernard. Epist. 90.) in ipsis profecto requiescimus.* Unde Sophon. 3. 15. *Silebit in dilectione: Hebraicè, quiescet in dilectione.*

Inquieta res amor, non nisi in amore requiescit. S. August. Pl. 54. 25

S. Bernard.

TEXTUS ENODATIO.

1238 Prior Versiculus sic effertur à Tigurina: *Post hæc omnia quaesivi quietem, & in alicujus possessione domicilium.* Druisius ita: *Cum his omnibus quietem quaesivi, & cujus in hæreditate pernoctarem.* Camerarius; *Apud omnes illos habitationem quaesivi, ut sedem alicubi invenirem.* Et quidem Græcè est *πρὸς τὸν πατέρα σου,* id est, *cum his omnibus.* Quasi dicat: Cumque horum, vel potius, cumque rerum omnium potire, requiem tamen mihi quaesivi, locum quaesivi, & populum; in quo requiescerem, meque oblectarem quasi in populo mei cultore, sapiente, pio, & sancto. Illud verò, & P. Ildeph. de Flores in Eccles.

Enodatio verborum.

1239 Rursus dubium esse potest, quid nomine



Quid hereditatis nomine intelligatur.

Hebraea Gens.

Deut. 32. 9.

Amos 3. 2.

Deut. 7. 6.

Hebraea populus quanti a Deo habetur.

mine hereditatis intelligatur? Dixi in argumento, Judaeorum Populum, Jacobeam, sive Israeliticam Gentem, fuisse in primis peculiarem Dei hereditatem, in qua, tanquam proprio suo domicilio, sedem fixit, & quam maximis beneficiis cumulavit. Propterea subtexitur: In Jacob inhabitata, & in Israel hereditate. Tigurina; In Jacob habitata, & inter Israelitas accipe possessionem. Drusus vertit: In Jacob fixito tabernaculum sive tentorium, & in Israel hereditatem adito. Syrus: In Jacob habitata, & stabilire in Israel. Camerarius: In Jacob habitabis: & Israel erit hereditas tua. Et quidem obvia passim extant in sacris litteris testimonia, in hujus rei confirmationem, & illustrationem. Indicabo ex multis pauca. Deut. 32. 9. Pars autem Domini populus ejus: Jacob funiculus hereditatis ejus. Isai. 19. 21. Hereditas autem mea Israel. Amos 3. 2. Audite filii Israel. Tantummodo vos cognovi ex omnibus cognationibus terrae. ist est, ex omnibus nationibus elegi vos, & eo studio, atque benevolentia complexus sum, ut nihil aliud non solum non curasse, neque cognovisse existimari poterim. Et Ecclesiastici 17. 14. Pars Dei Israel facta est manifesta. Id est, manifestum est toti mundo, quod Israel sit populus, hereditas, pars, & regnum Dei; quia omnes vident eum a Deo regi, amari, protegi, assiduis beneficiis, oraculis, & miraculis ornari, ac per legem, religionem, cultumque a ceteris Genibus separari. 1240 Sed premia signatim illa Deut. 7. 6. verba: Te elegit Dominus Deus tuus, ut sis ei populus peculiaris de cunctis populis, qui sunt super terram. Hebraice pro peculiaris, est cegula, quo nomine Logici Hebraei quantum illud praedicabile, quod proprium est & convenit soli alicui, indignant. Solet vox illa a Vulgato reddi peculium. Exod. 19. 5. Eritis mihi in peculium. Et Psalm. 134. 4. Elegit Israel in possessionem: ex Hebraeo vertit Hieronymus, in peculium. LXX. Interpretes convertunt Hebraeam vocem illam, peritiam: id est, populum acceptabilem, egregium, precipuum, opulentum: nam peritiam id est, quod opulentia, supellex, ut sunt gemmae, uniones, aurum, & argentum. Imo observant Hebraei, nomine cegula comprehendendi aurum & argentum, non quodcumque, sed singulare, selectissimum, atque rarissimum ut patet ex 1. Para. 29. vers. 3. & 4. Atque hoc certe praese fert vox illa peculium: id est, thesaurus proprius, singularis, & intactus. Vide Malachiae 3. 17. & ibi nostrum Quiros, & Montanum. Ac subinde inferas; quo jure Hebraeorum Populus, Dei hereditas appelletur, singularis utique ac propria, & tanquam res unica singulariter dilecta, atque ut peculium, ut thesaurus, ut supellex pretiosissima, intacta, sacerrima. Erat enim Israelitica Gens quasi supersubstantialis thesaurus Dei: ceterae nationes & Gentes, vulgares habebantur, &, ut ita loquar, utensiles Dei facultates in ordinarios, & vulgares usus destinatae, quae cum consumuntur, vel perduntur, nihil magnum, aut magno opere pretiosum, charumve perire putabatur. Hebraei autem peculiare Dei opes erant, quae nunquam attingebantur, sed servabantur ad delicias. Exod. 19. 5. Eritis mihi in peculium de cunctis populis.

1241 Ceterum, cum Hebraeorum Respu-

blica, typus, & umbra Christianae Ecclesiae exciterit; haec plane jure potiori hereditatis nomine erit intelligenda, in qua Christus Dominus stabilem habet Domicilium, aeternam pacatamque sedem fixit. Haec proprium Dei peculium, popululque acceptabilis, egregius, precipuum, opulentus, ac Regia gaza omni spiritualium divitiarum cumulo refertissima, singulariter dilecta, intacta, sacerrima, quam acquisivit corporatum Verbum sanguine suo. Recte hic Abbas Fuldenis Rabanus Maurus: Raban. In omnibus genibus requiem sibi quarit Sapientia, quia ex omnibus genibus sancta congregatur Ecclesia, quae electa ejus hereditas est, ubi in saeculum saeculi ipse permanet, & regnat. Similiter Hugo Carenensis, Palacios, & alii. Firmarique poterit pluribus sacrae Scripturae testimoniis. Pl. 2. 8. Psalm. 67. 10. Psalm. 46. 5. Psalm. 131. 13. Zachar. 2. 12. Malach. 3. 17. in quibus orthodoxa Ecclesia, Christi hereditas, possessio, & peculium appellatur, tum in pretio, tum in honore habitum, nunquam de manu, de oculis, de Dei sollicitudine deponendum, uti deposita Synagoga Judaeorum fuit, & in ejus locum Ecclesia Christianorum subrogata.

1242 Illud hic observare liceat in universum; inter doctissimos nempe sacrae Scripturae Expositores compertum esse, arcanum fuisse divinae Providentiae consilium, ut in Judaico populo rem Christianam praeluderet, illius tum personis, tum rebus nostra delinearet. Inde factum, ut postquam totum jam praeludium, tota personarum ac rerum absoluta fuisset delineatio, Evangelica succederet Ecclesia, in qua res praeludis, umbris imagines redderentur. Id quod ex pluriartificii exemplo licet intelligere. Quemadmodum enim si Phrygioni rudem telam certis praescriptis imaginibus acupingendam tradas, eam is imperfecto primum adumbrat lineamento, umbratilibus totam delineat formulis; deinde, priori observato vestigio, similes, sed perfectas imagines, imperfectis quam exactissime respondentem inducit, artificioso opere expressas, ditiori materia longè pretiosiores. Simili profecto artificio divina Sapientia priori illi Hebraeorum populo, prioribusque figuris, rudique arte delineatis umbris, novas Evangelicae Ecclesiae formas, vividas expressasque teliciori tum materia, tum manipreio adornatas, atque locupletatas inducere constituit. Quod ut praefaret, veterem quodam modo telam sub Christiana tempora explicuisse visus est, atque à prima totum opus imagine repetivisse.

1243 Deinde multa enodanda occurrunt in illis verbis v. 12. Tunc praecepit, & dixit mihi creator omnium, & qui creavit me, requievit in tabernaculo meo. Quae luculentiora sient, praestatis ex Graeco translationibus. Tigurina vertit: Tunc conditor universi mandata mihi dedit, & creator meus fixit tabernaculum meum. Syrus: Tunc praecepit mihi Dominus universorum, & qui fecit me, & collocavit tabernaculum meum. Drusus: Tunc praecepit mihi conditor omnium, & qui creavit me, fecit ut requiesceret tabernaculum meum. Camerarius: Hic praecepit mihi creator omnium, & qui me creavit, habitationem mihi constituit. Imprimis quaeritur, quâ ratione accipiendum verbum illud, praecepit, vel mandatum dedit? Respondeo, verbum, praecipio, Graecè ἀγγελλωμαι, solere accipi

Hereditas Christi singulari et dilecta, Ecclesia Christiana.

Quam arcano consilio Ecclesiam suam Iesus praecepit ac delineaverit in Synagoga.

Translationes. Tigurina.

Syrus.

Drusus.

Camerarius.

Quomodo verbum, praecepit accipiendum.

Sensus verborum.

Quo sensu praecepit Pater Filio ut Deo.

Strictè praecepit Pater Filio ut homini.

Verbum, creavit, variè usurpatur.

accipi primò strictè pro mandare, praecipere mandato & praeepto externo obligante inferiori. Secundò minus strictè, pro decernere, seu praecipere intra se; pro decreto nempe, & praeepto interno. Tertio latè (ut Dionysius Carthus. hic observat) pro mittere, committere, insinuare. Sic apud Cicero-nem, & alios Latinos, praesertim apud Jurisconsultos agentes de Procuratore L. negotiorum gestore.

1244 Ergo, si sermo apud nostrum Siracidem sit de Christo Jesu quatenus Deus est, & personalis Patris Sapientia; verbum praecepit non debet sumi in stricta significatione, ut dicit superioris imperium obligans inferiori. Sic enim Pater Filio non praecipit, neque à Patre Filius praeeptum accipit, ut ajebant Atriani contra Filii consubstantialitatem; sed eatenus tantum Pater dicitur Filio praecipere, quatenus ut Filii principium illi communicat per aeternam generationem, eandem sapientiam, consilium, voluntatem, & imperium. Atque juxta haec verbum praecepit sumitur pro Dei imperio non externo, sed interno, de quo Scholastici. Unde aeternus Filius dum hoc Patris imperium, & voluntatem per generationem accipit, & per eam vult in Israelitico populo requiescere, & habitare, & in orthodoxa Ecclesia stabile domicilium habere, ut sic jure merito dicitur Patris praeepta accipere, & adimplere. Atque in hoc sensu capiendi sunt Ecclesiae Patres (quorum nostra est doctrina) asserentes, Patrem dare mandatum, & praeeptum Filio, ut Filius est, & aeternum Verbum. Accedit; quòd verbum praecipere significat etiam proprie mittere, committere, insinuare: & in hac acceptione Pater praecipit Filio aeterno, quatenus illum misit ad synagogam & Ecclesiam, & commisit utriqueque populi curam, ut Paterno nomine plurima enuntiaret.

1245 Ceterum, cum in hoc capite 24. sermo sit de Christo quatenus homo est, juxta multorum placitum, cui nos merito applaudimus, verbum praecepit potest sumi in stricta significatione, ut dicit superioris praeeptum obligans inferiori. Christus enim, quia homo extat, minor est Patre; imò & se ipso, quia Deus est, ut omnibus claret. De hoc divino praeepto Christum obligante plura extant testimonia. Joan. 10. 18. & c. 14. 31. & c. 15. 10. ad Philip. 2. 8. ad Rom. 5. 19. & alibi saepe. Videndi S. Chrysost. in Sermon. peculiari ad illud 1. Corint. 15. 28. & Tom. 3. ad finem, & Hom. 59. in Joannem, S. Nazian. Orat. 36. quae est 4. de Theologia post num. 63. S. Cyrillus lib. 9. in Joan. c. 1. in priori expositione, & l. 10. c. 20. S. Ambros. lib. 5. de fide c. 5. S. August. lib. 3. contra Maximinum c. 24. & tract. 82. in Joan. & multi alii, quos omitto.

1246 Pari etiam modo sentiendum de verbo illo creavit; & qui creavit me. Quod variè etiam usurpatur: primò pro productione ex nihilo, ut cum dicitur Gen. 1. 1. In principio creavit Deus caelum & terram. Deinde, ex aliqua praerajacente materia, ut cum homo dicitur creatus ex limo terrae Gen. 1. 27. & c. 2. 7. Et cetera grandia, & omnis anima vivens atque motabilis creatae dicuntur Gen. 1. 21. Verbum enim Hebraeum bara, & Graecum σπονην, utrumque significat, & ex re praerajacente, & ex nulla praerajacente producere. Unde interdum idem valent, quod gigno, possi-

deo: ut Proverb. 8. 22. Dominus possedit me, LXX. & multi ex Patribus, Dominus creavit me. Et Psalm. 138. 12. Tu possidisti renes meos. Arabicè, creasti cor meum. Ita quoque apud Virgilium, Salmone creator, est genitor. Accedit, sumi etiam creare, pro eligere, peculiari ratione formare, & transferre in aliud, novum & excellens esse. Isai. 43. 1. & c. 65. 18. Jerem. 31. 22. Psalm. 50. 12. ad Ephes. 2. 10. 2. Corint. 5. 17. ad Gal. 6. 15.

1247 Verbum igitur, creavit si de Christo, quia Deus est, intelligatur, positum planè est pro genuit, possedit, vel praefecit, elegit, constituit, peculiari ratione produxit. Atque in hoc sensu accipiunt verbum, creavit, Ecclesiae Patres. S. Hieron. super Psalm. 89. S. Cyrillus lib. 5. Thesauri c. 6. Nec deunt rationes multae, ut divini Verbi generatio dicitur creatio. Ea princeps, quam S. Hilarius lib. de synodis colum. 8. explicans 5. Canonem orientalium, assignat: videat. ad significandam immutabilitatem Patris, & indivisibilem puritatem generationis. Sic etiam S. Thomas 1. p. q. 41. a. 3. ad 4. & in 1. dist. 34. q. 2. ad 2. Alienatur enim vocabulum creationis à propria significatione ad figuram, qua denotetur ab aeterna generatione removendam esse quamlibet imperfectionem creatae generationis. Quae figurata locutio frequentis est in libro Proverb. & in lib. Ecclesiastici, qui totus est ad imitationem Proverbiorum Salomonis.

1248 Verum, cum Sapientia incarnata, nempe Christus homo, hic seipsum commendat, rectissime utique verificari potest, quòd creata sit ratione humanitatis assumpta. Atque in hoc sensu verba illa, & qui creavit me, explicant Hugo Cardinalis, Palacios, Glossa, P. Sa, Cornelius, & Dionys. Carthusianus, cujus verba haec sunt: Planius verò dici potest, quòd ordinante Spiritu sancto, auctor libri hujus usus est verbis istis (scilicet, praecepit, & creavit) ad significandum beatissime incarnationis mysterium. Itaque ratione humanitatis assumpta comperit huic Sapientiae aliquomodo creati, & praecipit. Consonat Fuldenis Abbas Rabanus. Raban. Quid est (ait ille) quod dicit Sapientia, sibi creatorem omnium praecipisse, nisi quod Filius secundum humanitatem intelligit sibi Patrem majorem esse? Unde subiungitur: & qui creavit me, requievit in tabernaculo meo. Creare enim Dei, est Sapientiam unigeniti Filii humanitatem singulari puritate de Spiritu sancto conceptam & Mariâ Virgine editam procreare. Unde existimo (quidquid Jansenius sentiat) hunc sensum esse huic loco proprium, & omnino litteralem. Est enim sapientissimo Dei consilio factum (ut eruditè notat Ruicius noster de Trinitate disp. 96. sect. 6.) ut una, & eadem persona Verbi secundum duas naturas, humanam, & divinam veniat sub eodem verbo, juxta diversas acceptiones accepto intelligenda: sic enim legitimum intellectus excitatur ad quaerendam in Christo duplicem naturam in verbo ambiguo, & varias admittens interpretationes: nec lector ita penitus uni adhaereat sensui, ut profusus rejiciat alium: sed potius utrumque complectatur se mutuo temperantem, & corrigentem ab imperfectionibus operationum creaturarum. Lege apud eundem Auctorem Patres asserentes, Christum dici creatum ratione humanitatis.

1249 Petes deinde quid sit: Requievit in taberna-

An Verbi divini generatio possit creatio appellari.

Christus creatus ratione humanitatis.

Dion. Carth.

Raban.

P. Ruiz.